



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 813. Usque Ad Annum 859

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1760

VD18 90117867

§. 35. Martyres Cordubenses.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66103](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66103)

Sæculum IX.

A. C. 857.

§. XXXV.

*Martyres Cordubenses.**Eulog. II.*
memor. c. 21.

c. 13.

Sup. lib.
XLVII.
§. 54.*vid. Not.*
Ambr. c. 14.

Cordubæ persecutionis necdum finis. Quemdam Presbyterum, nomine Abundium, in monte vicino Parochum, Saraceni primum per fraudem ad Martyrium pertraxerunt; ille autem deinde a Judice interrogatus Fidem intrepide confessus est, etiamque in Mahometem & ejus Sectatores convicia adjecit, ideoque statim peremptus, & canibus bestiisque devorandus expositus, undecima Julii, Æra 892. anno Salutis 854. Trigesima Aprilis anno sequente tres Martyres simul coronati; nempe Amator Presbyter juvenis, qui scientias addiscendi causa Cordubam venerat, Petrus Monachus, & Ludovicus germanus Pauli Diaconi, anno 851. Martyrium passi. Hi tres pio foedere juncti, cum Evangelium prædicant, celeriter necantur. Corpora in flumen projecta, duoque iterum inventa, videlicet Petri, quod in Cænobio Pinnæ Mellariensis sepultum, & Ludovici, quod in vico Italicæ Provinciæ in Andalusia, Palma nomine, terræ mandatum. Ea etiam tempestate Vitesinus vir annis plenus, olim a fide apostata, cum eum ad Religionem Mahometis publice profitendum vellent compellere, & fortiter recusasset, sine mora Martyrio afficitur. Anno

Anno sequente 856. Æra 894. Elias ^{Sæculum IX.}
 Presbyter ex Lusitania, ætate senili, cum A.C. 857.
 duobus Monachis Paulo & Isidoro robu-
 sta juventute florentibus, decima septima
 Aprilis passus est, & vigesima octava Ju-
 nii Argymirus Monachus senex, qui olim
 Cordubæ Censor a Rege creatus, & rur-
 sus ab hac administratione amotus in
 quoddam Monasterium se receperat. Ad
 Judicem deinde delatus, quod in Pro-
 phetam verbis acerbe lusisset arcto car-
 ceri datur, & jubente Judice, postquam
 eum pervertere frustra conatus fuisset,
 vivus equuleo imponitur & gladio tra-
 jicitur. Sepultus est in Ecclesia S. Ascii-
 scoli juxta S. Perfectum.

Aurea Adolphi & Joannis, qui sub
 initium Regni Abderami Martyrii Lau-
 ream consecuti sunt, Soror, femina Re-
 ligiosa per annos triginta in Cænobio
 Cateclariensi degebat. Eam præclaro
 stemmate inter Arabes in Provincia Hi-
 spalensi natam, quidam propinqui, ru-
 moris, quem de ipsa perceperant, verita-
 tem exploraturi inviserunt, cum vero
 eam non Christianam modo, sed etiam
 Monialem conspexissent, rem hanc ad
 Cadi, seu Judicem, & ipsum Auræ con-
 sanguineum deferunt. Ille ad se acci-
 tam lenibus verbis affatus insinuat, quan-
 to probro nobilis familiæ avitam Religio-
 nem abjecisset. Tandem minas adjecit

Sæculum IX. atroces; eam ultima & turpissimam ne-
A. C. 857. cem esse passuram, nisi Christo nuncium
mitteret. Illa tunc quidem cessit, &
pollicita est, se facturam, quod Judex vel-
let. Ergo libera dimittitur. At domum
regressa Religionem Christianam sicut
antea profitebatur, gemitibus lacrymis-
que scandalum a se datum delere co-
nata. Hinc Ecclesias publice adeuntem
Infideles coram Judice accusant, cui ipsa;
nunquam se a Christo suo fuisse separa-
tam, & nunquam vel ad momentum im-
piæ sectæ adhæsisse, quamvis id utcun-
que victa promisisset. Judex immanis-
simus his verbis accensus catenis liga-
tam carceri tradit; tum acceptis a Re-
ge mandatis altera die gladio trucidat.
Corpus in flumen projectum, cum age-
retur annus Incarnationis Dominicæ
octingentesimus quinquagesimus sextus
& dies Julii decima nona. Ecclesia au-
tem hos Martyres in diebus illis, quibus
passi sunt, honorat.

§. XXXVI.

S. Eulogii Apologeticus Martyrum.

Apolog. init. **E**ulogius Presbyter, qui Martyrum isto-
rum passionem suo calamo ad nos
transmisit, eorum quoque defensionem
edito libro apologetico in se suscepit
contra quosdam Christianos objicientes,
ipsis non tantam reverentiam, ut anti-
quis